14

I. N. J.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA DE PARACENTESI THORACIS ET ABDOMINIS,

Quam

DECRETO ATQVE AUCTORITATE

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

IN ACADEMIA MARCHICA,

PRÆSIDE

RECTORE MAGNIFICO

DN. BERNHARDO ALBINO,

PHILOS. & MED. DOCT. hujusq; PROFESSORE ORDINARIO CELEBERRIMO p. t. DECANO SPECTABILI,

PATRONO, PRÆCEPTORE ac PROMOTORE STUDIORUM SUORUM ÆTERNUM COLENDO,

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medicâ Honores, Inſignia atq; Privilegia Doctoralia legitimè conſequendi,

publico eruditorum examini ſubmittit

Horis ante & pomeridianis,

Tertio Idus Maji Anno MDCLXXXVII.

ERNESTUS HEINSIUS, Sagano Sileſius.

Francofurti ad Oderam, Typis CHRISTOPH[illegible]

14

I. N. J.

ANceps præſtare quàm planè nullum experiri remedium *Celſi* placitum eſt; *Galenus* Medicum quicquam etiam cum periculo experiri debere, *Lib. X. Meth. Medic. cap. 10.* enunciat. Vivendi cupiditate allecti homines, melius omnino eſſe reputant dubii & funeſti eventus plenas operationes, præprimis ſi natura & caſus illos reddiderit audaciores, ſubire, quam certam oppetere mortem, minimam ſpem indubiæ perniciei præferentes. Tot crudelibus chirurgi indies defunguntur operationibus, & earum tot ſunt commentarii, ut illas recenſere tempore abuti eſſet. Ex earum numero pro themate inaugurali paracenteſis arriſit, remedii genus ſummo cum diſcrimine conjunctum, quod Medicis ac Chirurgis non una vice illuſit, & cujus eventus ſpei licet optimæ ſæpe ſæpius non reſpondit. Nimirum omnino periculi ple-

na res eſt ab orco paracenteſi revocare ægrum velle, cum anceps hoc remedium vix ſine mortis periculo abſolvatur, cujusq; funeſtum ſæpe exitum experientia doceat. Et neminem facile reperies in re medicâ vel mediocriter ſubactum, qui illotis ad illam accedat manibus, ſed cautè nec niſi in caſu deſperato hanc medendi rationem amplectuntur demum, non ignari quæ partes jam debilitatæ patiantur inciſione peracta fata. Cum tamen ſalutares proſtent effectus, ſi tempeſtive, viribus integris, ſuadentibus aliis circumſtantiis ritè inſtituatur ac celebretur, quid de hoc remedii genere tenendum paucis diſſerere conſtitui.

TH. I.

Paracenteſeos vox originem & natales ex Græciâ habet, ſed cujus uſus in medicina adeo familiaris ut in Latio quaſi civitate donata videatur. Oriunda à παρακεντέω pungo, vel à latere pungo, unde παρακέντησις compunctio interpretatur, & ita quidem generaliter accipitur, ut acu factam catarrhactæ remotionem paracenteſin *C. Plinius Sec. Lib. 25. c. 13.* dixerit & κέντημα ac κεντητήριον pro cuſpide vel ſubula apud Polybium & Lucianum accipiantur. Quævis punctio acu vel ſcalpelli cuſpide facta, adeo latè accipitur, ita appellatur *D. Sennertus Lib. 1. Inſtit. part. 2. Sect. 2. cap. 7.* Eousq; tamen ſi hanc extendere vellem diſſertationem limites præfixos longè excederem. Agam ſolùm de illa operatione chirurgicâ, in qua inſtrumento quodam thorax vel abdomen perforantur ut aqua, ſanguis extravaſatus vel pus commode educi atq; evacuari poſſint.

TH. II.

TH. II.

Per cavitatem thoracis totum illud ſpatium, quod ſuperius claviculis, inferius diaphragmate, à parte anticâ ſterno, poſtica vertebris dorſi, lateribus coſtis terminatur, intelligo, in qua vel pus vel ſerum quandoque reperiuntur, cum hoc hydrops pectoris, cum illud empyema appellatur. Puris collectio ſive haud ritè judicatos ſeqvatur morbos. *Willis. pharm. rat. part. 2. S. 1.* pleuritidi vel peripneumoniæ ſuppuratis ſuum debeat ortum. *D. Sennert. Pr. l. 2. part. 2. c. 19.* ab angina vel parotidibus exulceratis *Ephem. Germ. Dec. 1. an. 3. obſ. 50.* à vomica pulmonum rupta, thoracis contuſionibus vehementioribus, ſanguine effuſo aut quavis aliâ ratione collecta ſit, vel quomodo colligi posſit, non inquiro, ſed cum collecta, quando & quomodo paracenteſi educenda veniat.

TH. III.

Quod ut decenter fiat, certi eſſe debemus de ipſo empyemate, quod difficili reſpiratione ſe prodit; ſed ita ut ſi pus ſit effuſum inter pleuram & pulmones de nimio materiæ, ſuper diaphragma fluctuantis, pondere conquerantur ægri circa coſtas nothas cum inquietudine doleant, nonniſi lateri affecto incumbere queant, febrem ſentiant, & aliquid quandoq; tusſi rejiciant, decumbentibus immineat ſuffocatio, de latere in latus inclinantes materiæ fluxum ac refluxum percipiant. Præceſſerunt cauſæ vel internæ vel externæ, quæ nos manu quaſi ducunt in empyematis ejusq; cauſæ cognitionem. Ponderanda admodum ſolicitè ſunt hæc ſigna ne decipiamur ab abſceſſu in ipſis pulmonibus abſcondito. Namq; & tunc difficulter reſpirant, magnum diaphragmati incumbens ſentiunt pondus, quia pulmones repleti premendo diaphragma, quó minus liberè moveatur, impediunt. Sed dolor fixus eſt cum gravitate & qui ſucceſſive

ceſſive increvit. Hoc vero caſu inutilis eſt ſectio, cum aperto licet thorace ex pulmonibus nihil tamen evacuare poſſimus; niſi forſan abſceſſus ſit in ſuperficie pulmonis, aut pulmo ibidem pleuræ ſit adnatus, & hoc in caſu abſceſſus directè ſubjacet loco dolenti, atque ſectio neceſſaria, quod etiam obtinet, ſi à pleuritide facta ſit ſuppuratio.

TH. IV.

Empyemati inthorace ſimillimus obſervatur affectus hydrops, cum aqva ſenſim cumulata tusſim ſiccam, reſpirationem difficilem, cordis palpitationem efficit, omnibusqve empyematis ſignis innoteſcit, & hominem qvi nihil minus metuit, ſubito ſuffocat, qvod ante triennium circiter in præſidiario milite *Magnif. Dn. Præſes* obſervavit. Obſervavit itidem *D. Jac. Wepfferus exercit. de Apoplexia*, illiusqve varia pasſim, apud Bartholinum, Hildanum, Bonettum extant exempla. Horum omnino ſignorum rationem reddere difficile non eſt, qvi enim aliter fieret, qvam ut præ ponderis incumbentis gravitate diaphragma difficilius ſurſum trahatur, & materia pulmones ambiens, illorum dilatationi reſiſtat unde diſpnoea: Diaphragma deorſum trahendo coſtis adnatas fibras tendat cum dolore, ſuo itu & reditu fluctus agat: Sangvini mixta fermentatione turbata febrem cauſet, & pulmonum poros ſenſim ſubeundo, à calore corporis rarefacta, ſubinde per bronchia ejiciatur.

TH. V.

Pus vel aqva in thorace coacervata ſi nullis medicamentis educi posſint aperiatur thorax, qvod absq; periculo fit per muſculos inter coſtales, vitatis nervis, vaſisq; majoribus, exemplis audaciores redditi, præeuntibus Ægyptiis qvi uſtione empyicos teſte Alpino feliciter reſtituunt, Ferantqve Phalereum præ deſperatione caſtra ſecutum fortè thorace in conflictu paululum perfosſo, vulnus accepiſſe, & in-

& infortunio in fortunam verſo, puri factum egresſum, antiqvo morbo felicisſime liberatum eſſe. *C. Plin. Sec. lib. 7. cap. 50.* Plurimos empyicos uſtione, qua tamen tutior ſectio, ſanitati reſtituisſe gloriatur *Rondeletius.* Nonnullam ſe ex empyicis aperiendis laudem retulisſe, & præcipuam ex ea, quam inter quartam & quintam coſtam confecit Antonio Manſolillo Sœlenſi ex pleuritide ſuppurato refert *M. A. Severinus pyrotechn. chirurg. lib. 2. p. 1. cap. 36.* Nicolaum Rohler empyicum ſectione Hippocratica felicisſime reſtituit, ut per annos aliqvot integerrimè vixerit. *J. Scultetus armament. Chirurg. obſ. 45.* In hydrope pectoris latus ſecuit, paulatim liqvorem detraxit, donec tota cavitas fuerit inaninata, homine ſano & ſuperſtite. *Thom. Willis. Pharm. rat. part. 2. Sect. 1. cap. 13.* Nec ſectio per ſe periculoſa eſt, ſed vires ægri ſunt ponderandæ, & an aliquid commodi ex ſectione percepturus ſit? an materia evacuatâ ſpes ſit viſcera in integrum reſtitutum iri? Qvicqvid periculi ſubeſt, vel chirurgi imperitiæ, vel ægri debilitati, vel viſceribus corruptis tribuendum.

TH. VI.

Ad ipſam operationem accesſuri, de loco in qvo ſectio facienda duo præmonemus. Quandoq; ad certum locum determinamur, cum certi ſumus certam partem ſuppuratam esſe, quale quid à pleuritide fieri ſolet, aut quando abſcesſus eſt ubi pulmones adnati ſunt, pleuræ, quale quid ſe Lugduni Batavorum vidisſe refert *Magnif. Dn. Præſes*, ut puris latentis fluctuatio digito deprehendi potuerit; qvo caſu loci electio noſtri arbitrii res non eſt, ſed necesſitatis. Beneplaciti noſtri res eſt, ſi nihil ſit, quod nos cogat ut potius hic qvam alibi aperiamus, & tunc eligimus locum commodisſimum ut materia posſit evacuari; humilem & qvo verſus materiam tendere judicamus, nec ſubeſt periculum, utpa-

ut partes principales lædamus. Nec anticam, nec poſticam thoracis partem perforandam omnes conſentiunt, id prohibentibus muſculis; ſed qvis in latere eligendus locus in diverſa abeunt. *Paulus lib 6, c. 44.* inter qvintam & ſextam coſtam vult & locum ut accuratius determinet, filum inter qvintam & ſextam vertebram apici ſpinæ dorſi imponit, & ad medium ſterni deducit, & filo triplicato à ſterno ſpinam verſus metitur, & illius extremitas locum ipſi deſignat aperiendum. Paulum ſeqvitur *H. Fabr. ab Aqvap. Chirurg. part. 2. cap. 47.* permotus qvod culter in corpore mortuo eo loci adactus, nec diaphragma, nec pulmones lædere viſus ſit. Hippocraticum præ Paulino eligit *J. Scultetus armam. Chirurg. Tab. 37.* quod pus vel aliena materia in thorace collecta ob decliviorem aperturæ ſitum melius evacuetur. Qvamvis in latere dextro Paulinum Hippocratico, qvod in dextro latere hepar gibba ſui parte diaphragma ſurſum pellat, præferat. Utrumq; conciliaturus Fabric. ab Aquapendente ita interpretatur Hippocratem, ut numerari velit tertiam ab ultima coſta, adeoque Hippocratis tertia foret qvarta notharum, cumque prima ſit adeo exigua, ut tangi non poſſit, illam Hippocratem inter coſtas non recenſuiſſe vult, unde concludit Hippocratem & Paulum non ſolum non diſſentire, ſed eundem prorſus eligere locum. *Guido de Cauliaco* inter qvartam & qvintam inciſionem ſvadet. *Tr. 3. de vulner. cap. 5.* *H. Smetius* inter ſecundam & tertiam ſe illam cum ſalute ægri inſtituiſſe ſcribit *Miſcell. lib. 7. & 10.* *Sennerto* locus inter qvartam & qvintam, vel qvintam & ſextam tutiſſimus; Inter ſecundam vero & tertiam, tertiam & qvartam ad evacuationem materiæ commodiſſimus eſt. *Prax. lib. 2. part. 2. cap. 19.* qui modus tutiſſimus placet *P. Barbette Chirurg. cap. 15.* Mihi præ reliqvis placet locus inter tertiam & qvartam in utroq; latere, cum ibi nullus ſit

metus lædendi diaphragma, locusque ſit ſat humilis ut pus evacuari posſit, nec tamen nimis humilis ut contra voluntatem pus effluat, nec diſpliceret ſecunda & tertia ſiniſtri lateris, cum lien non adeò protuberet, nec metuenda diaphragmatis læſio, cum perforationem inter primam & ſecundam viderit. *C. Solingen in de manuale operatien der Chirurgie part. 2. cap. 1.* Hoc licet incommodo ut ſingulis reſpirationibus diaphragma canalem plumbeum ferierit, & ſubſecuta fuerit inde inflammatio. Loco lateris determinato cum mediaſtino pectus in duas diſcludatur partes & humor vel ſiniſtram vel dextram occupare posſit hinc non perinde eſt, qvod illorum aperiatur. Dignoſcitur ergo locus tumore partis, dolore, colore, pondere puris incumbentis & reſonitu. Extuberat ſcilicet urgente copia fluctuantis humoris latus eo completum extimusque habitus ejusdem diſplicentior eſt contrectatus illuviei efferveſcentis evaporata. Triſtem autem ſenſum ea parte natura non disſimulat; augeturque idem, homine decumbente inſoſpes latus; ſonitum autem allidentis verſato pectore ſaniei percipere poterit & qui tractat & qui tractatur maximè: ſed gravitatem lateris is, qui patitur declarabit, congrue commentatur *M. A. Severinus Chirurg. effic. part. 2. enarrat; de iis quæ ad oſſa ſpectant c. 7.*

TH. VII.

Operationem inſtituturus chirurgus ad tria attendat oportet, quid videlicet ante, vel in, vel poſt ſectionem obſervandum. Antequam operationem aggrediatur providere debet ne ullius rei indigeat, ſed omnia in promptu ſint; quæ vel neceſſario, vel in omnem eventum requiri posſunt, certo illa diſponat ordine, ut ſine impedimento invenire posſit. Adſint atramentarium nigerrimo repletum atramento, cum calamo obtuſæ latæque cuſpidis. Cultellus mucrone rotundo, anceps, ſatis tenuis & politus ad inſtar

lanceolæ,latior tamen & paulo craſſior ne frangatur,in cujus manubrio ſit ſeparatorium : conductor : cannula alata & perforata,ejus longitudinis, quam obeſitas vel macilentia ægri requirit,ut penetret quidem in cavitatem thoracis, pulmones tamen non offendat,non plane rotunda, ſed depreſſa parum, ut inter coſtarum interſtitia minori incommodo hæreat: emplaſtrum agglutinans tribus foraminib9 pertuſum, ut unum eorum tranſeat cannula, duobus reliquis vero turundæ alligari posſint: linteum carptum ; lintea duplicata, vel quadruplicata &c. faſcia ſatis longa, forfex,acus,ſpongia, aqua tepida, mantile, vaſcula pro pure recipiendo &c. Unguis acutus in indice ſiniſtræ manus: bolis vulneraria incurva, perforata.

TH. VIII.

In ipſa operatione in ſella ſedeat æger erectus in tali ſitu ne muſculi ac cutis nimium trahantur, ne poſtea recedentes vulnera non reſpondeant; brachium ejusdem lateris transversè pectori impoſitum à quodam adſtantium teneatur, ne in ipſa ſectione ſuo motu impediat chirurgum: Locus ſit apricus, chirurgus digitis ſuis accuratè arctè premendo coſtas exploret, cavendo ne primæ coſtæ exilitas ipſi illudat, ac inveſtiget in dextro quidem latere, interſtitia tertiæ & quartæ, in ſiniſtro vero ſecundæ & tertiæ coſtarum, quatuor vel quinq; tranverſis à ſpina dorſi digitis, quod ex ægri corpore facilius dijudicatur, quam hic determinatur, ne dorſi muſculos ſecemus. Locus inventus atramento juxta coſtarum decurſum notetur, nec tamen digitus removeatur, alias enim paulum moto vel incurvato corpore, facilè fallimur. Cutis elevetur ut linea nigra utrinq; ſibi incumbat, digitis firmiter comprimatur & ſcalpello diſſecetur, atque ita muſculi intercoſtales conſpiciuntur, quos alii obliquè, alii transverſim ſecant, hanc tamen præ illa elige-

eligerem ſectionem, quod cum tanto læſionis vaſorum periculo conjuncta non ſit, & in priori alteruter inter coſtalium muſculorum, quorum fibræ ſe invicem decuſſant, transverſim diſcindi debeat, nec multum interſit, an illorum actio aliquantiſper lædatur. Diſcisſio ut tutius fiat, ſiniſtræ manus indicis unguis acutus inferiori coſtæ quantum potis eſt infigatur, & cultellus prope digitum in vicinia coſtæ adigatur paulatim & caute donec ipſa pleura perforetur, de quo aer vel materia erumpens te reddet certiorem, cavendo ſubitanea & improvida cultri intruſione pulmonis læſionem; nolim tamen hujus periculi vitandi cauſa pleuram ſtylo pertundi debere, cum enim propter pleuræ robur id adeò facilè non fiat, ſeparatur à carne ſubjecta & novus fit abſceſſus: quin potius æger exſpiret, & culter eo ſitu teneatur, ac ſi in coſtam inferiorem adigendus foret. Foramen factum ſulco conductorio munitus culter dilatet paululum, ſtatim eo retracto digitus immittatur, partim ut vulnus fiat majus, partim ut pulmones retrotrudantur, &, ſi pleuræ adnati, ſeparentur. Qui ſi egrediantur bolide vulneraria incurva perforata, ut materia egredi queat, introtrudantur. Ex vulnere modo facto aliquid contenti humoris effluere ſinito. Aliquid inquam, ne æger veritatem aphoriſmi Hippocratici teſtetur, qui *Aph.27. Sect.6.* ait: *Quandocunq; empyici uruntur aut ſecantur, ſi pus aut aqua univerſim effluxerit, certò moriuntur*. Sed tantum, quantum vires requirunt & materiæ copia patitur, evacuetur, idq; toties repetatur, quoties materiæ gravitas id indicat. Pollice obdurato foramine, ſpongia mundetur cutis, mantili ſiccetur, immittatur cannula cujus oſtium ſpongiâ vel linteo carpto occludatur, quæ filis per lateralia ſuperimpoſiti emplaſtri foramina ductis ibidem firmetur, ut cannulæ oſtio majus foramen reſpondeat, deſuper imponatur linteum duplica-

tum,faſcia muniendum,ne nobis invitis humor effluat, in eo ſitu maneant omnia ac aeris ingreſſus prohibeatur. Et hanc unam ex rationibus eſſe conjicio,cur Hippocrates coſtam perforare jubeat,quia vulnus id accuratius obdurare & materiam ad menſuram evacuare poteſt: Mihi tamen hoc commodum orituræ fiſtulæ periculo non æquiponderat.

TH. IX.

Hæc coſtæ terebratio placet *M.A.Severino efficace,chirur. P.2 enarrat. de iis quæ ad oſtia ſpectant c.7.* cum nec muſculi violentur,nec ſanguinis aliquod defluviũ ex convulneratis neceſſario venis atq; arteriis,nec puſillis,nec paucis patiatur homo,nec dolore atq; inflãmatione afflictetur,multô liberius& ſecurius ſecet chirurgus,nec anguſta cura perſpiciẽdus ſit locus muſculis minimè munitus,de commodo inſtrumento inciſorio,altera parte obtuſo,ne pulmo lædatur, ex altera vero ſcindente quidem, ſed modicè ad cuſpidem relevato, multa non intercedat quæſtio, nec anxia requiratur animadverſio de ſectione obliqua, juxta intercoſtalium exteriorum muſculorum fibras,ponatur terminus controverſiæ Fallopii & Aquapendentis,quorum is inferius,hic ſuperius ſecandum voluit. Apparentium commodorum numero fateor ſe hoc commendat placitum, ſed horum muſculorum violatio nullius momenti res eſt,cum homines thorace pertuſo ſoſpites ex vario vulnere indies videre contingat,hæmorrhagiæ non major eſt metus,cum puſillum carnis prope coſtam vaſis ſanguineis majoribus non irriguum lædatur,nec metuendus major dolor cum inflammatione, non major eſt ſecuritas, iis quæ dixi obſervatis: Obliquitas fibrarum in cenſum non venit, controverſia Fallopii & Fabritii an terminetur nec ne parum intereſt,inter ipſam vero operationem diutius inter chirurgi manus gemit æger &

in ſu-

in futurum juſtè fiſtulam metuit, non ſuaſerim igitur hanc coſtæ terebrationem.

TH. X.

Ex Hippocratis variis locis ut *lib. 6. epid. 1. de morb. 11. & 14. l. 7. aph. 44.* empyicos urendos conſtat, cum vero duplex urendi ratio uſitata fuerit, altera quæ ad pus usq; pertingat, quod C. *Celſus lib. 8. c. 9.* vult, quando ait: *Si Suppuratio vicerit, neque per quæ ſupra ſcripta ſunt diſcuti potuerit, omnis mora vitanda erit, ne os vitietur, ſed quâ parte maximè tumebit demittendum erit candens ferramentum donec ad pus perveniat, idque effundendum:* altera vero quæ in cute & muſculis ſubſiſtebat: controvertunt inter ſe quam illarum Hippocrates intellexerit, & ſunt hodienum, qvibus uſtio non cauterio actuali, ſed potentiali, vel unico, vel iterato arridet. Parum de mente Hippocratis ſollicitus, nullam illarum probare poſſum. Ferramentum candens in cavitatem dum adigitur, nimis terret ægrum, majorem excitat dolorem, dum non ſolum rumpit fibras per quas tranſit, ſed etiam vicinas lædit, & dum modo facilius, modò difficilius, prout candet, adigitur, facillimè fit, ut pulmones tangendo lædat, vel iis calore nimio noceat. Qvi vel ferro vel cauſtico cutem exurunt, alud nil agunt, niſi ut dolores augeant, carnem diſcindendam magis ſenſibilem reddant, & multis modis excrucient ægrum, qvem uno actu abſolvere poterant; nempe eſcharâ remotâ omne id agendum ſupereſt, qvod illa non prægreſſa fieri debebat. Cauſtico iterato impoſito qvi ſectionem declinant, illos majores urgent difficultates, dum enim diffluit longè lateq; exurit partes cum dolore, inflammatione & tumore, qvi etiam magnum licet hiatum adeo comprimit, ut materiæ effluxus impediatur, qvem ut adjuvemus tumida vulneris labia deprimenda decuſſorio, qvod ſine ægri peragitur riſu, donec ſeparatio fiat,

qva facta adeo ampliatum vulnus eſt, ut cannula fiat inutilis, illudqve turundæ monſtrum oppeſſulare debeat, funeſto exitu.

TH. XI.

Obligato vulnere lecto imponatur æger, capite paululum elevato, & qvieſcat donec de materiæ oppresſione conqveratur, tunc religetur, corpore eodem in ſitu conſtituto, in qvo tempore ſectionis erat, ut vulnera partium reſpondeant & materia effluat, remotis omnibus decusſorio reprimantur pulmones, humor evacuetur, tandemq; vulnus denuo obligetur. Cave tamen ne omnem evacues, cum eo qvippe multi ſpiritus egrediuntur & æger nimium debilitatur. Dum vulnus obligatur qvantum posſibile aerem introire non ſinito, nam gangræna corripit partes, qvale qvid vidit *C. Solingen manuale operatien der Chirurgie part. 2. cap. 1.* eoque fine luculento igne alteretur. Dum humorem indies educimus, accidit ſæpe, ut ejus egresſum, nec inſtrumento nec digito procurare posſimus, vel quia forte fortuna pleuræ pulmones adnati, vel quia humor incrasſatur: qvibus caſibus ſeparentur digito pulmones cum ſaltem exiguarum fibrarum ope pleuræ cohæreant, nec ruptionis vaſorum majorum ullus ſubſit metus. Humoris crasſities diluatur injectionibus tepidis ex aqva hordei & melle roſato paratis, cavendo ne initio ſtatim ab addita aloe amaricent, ore enim illas rejicit æger; valde tamen vaſis conſolidatis conducunt; injectiones factæ ſingulis vicibus iterum educantur, qvod fiat bis, ter vel qvater de die ſi humor aqvoſus factus nimis premat. Humoris effluxus promoveatur tamdiu, donec nil amplius, niſi quod ipſum vulnus ſuppeditat, qvod qvandoq; ante ſecundum vel tertium menſem, non fit, effluat, tuncq; vulnus quantum fieri poteſt, citisſimè carne repleatur, eo fine loco cannulæ

vul-

vulneri immittatur turunda ex linteo incerato cava ſarcoticoq; imbuta, quæ quotidie minor & brevior fiat, ne carnis generationem impediat. *J. Scultetus armam. chirurg. Tab. 37. fig. 5.*

TH. XII.

Si Medicus colligat ex ſignis intra mediaſtini duplicaturam humorem ſtagnare, in medio ſterni, ut vaſa mammaria vitentur, qvantum citra diaphragmatis læſionem fieri poteſt verſus enſiformem cartilaginem cutis in formam crucis vel trianguli incidatur, perioſteum ſeparetur, linteo carpto vulnus impleatur, altero die os ſtrepano perforetur, ad pleuram usqve, lenticulari latera levigentur, penicillo pleura mundetur, ancipiti cultello mucronis rotundi diſcindatur in formam crucis, ut vulnera ſterni & pleuræ æqve magna ſint, adigatur cannula argentea, quæ foramini accuratè quadret, ut ex illa ceu epiſtomio pro noſtro lubitu humorem vacuare posſimus. De cætero illa obſerventur omnia, qnæ antea monui.

TH. XIII.

Abſoluta thoracis paracenteſi, illam qvæ in abdomine fit conſiderabo, cui ferè ſoli παρακεντήσεως competit appellatio, ad educendas aqvas è ventre hydropicorum adinventa, præſidium antiqvis jamdum notum, & cujus Hippocrates variis in locis meminit, experientia monſtrante locum, qva nunc per ſpontaneam in umbilico abdominis aperturam, cujus exemplum Petrus Kickup. qvadragenarius, aſciticus, umbilico ſua ſponte rupto, plenisſime ſanatus, apud *Gvil. Fabr. Hildan. Obſerv. Chirurg. Cent. 1. obſ. 47* exhibet. Nunc per veſicas in cruribus excitatas, ſucceſſivè collectam colluviem evacuando hydropicos curatos extat. Virginis ad imitationem Fabritii abdomen aperuit, qvæ annum unum & dimidium à perforatione inteteger-

tegerrime vixit. *J. Scultetus in armam. Chirurg. Tab. 39. fig. 3.* Ne igitur irreparabilis committatur error, certus ſit chirurgus hydrope laborare ægrum, qvem

Fœdus color arguit, & tumor ingens,
Et ſitis & dyſpnoea, cibiq́; averſa cupido,
Occupat, & varias inflatio turgida ſedes.

Nec in quolibet habet locum, ſed in aſcite ſaltem, nec id quidem in omni, ſed tunc ſaltem cum brevi tempore tumor ad inſignem magnitudinem pervenit, ægri vires conſtant, ſine febre, pulmonum ulcere, alvi fluxu, macie eſt, eſt adhuc εὐσπλαγχνος, ætate florente. Memorabile exemplum legere eſt apud *Job. à Mekren.* Dina Nicolai Dovelings, quæ â primis annis ventris laboraverat, cum tenſione gravi, intumeſcentia magna, quæ circa pubertatis tempora, anno vid. 13. & 14. mirum in modum increvit. Menſtruorum fluxus, non niſi bis, isque parcus valde obſervatus, ventre eo tempore leviter ſubſidente. Nupſit tamen & gravida infantem peperit, ſed ſine ulla ventris detumeſcentia. Tandem brevisſimo temporis ſpatio, octo nempe dierum, in eam molem ventris tumor fuit auctus, ut tres partes accesſerint, ad digiti transverſi latitudinem, ventrem increſcere imposſibile omnino dixisſe. Et quod admirationem ſubit, agilis adeo fuit, atque in motu celer, ut domeſtica officia currendo, ſtando, laborando obiret, & paucis ante mortem diebus turrim clivenſem ſine moleſtia aſcenderet & deſcenderet. Mortuæ corpore aperto centum & viginti quinq; pondo aqvæ effluxit, quæ limpida erat nec fœtebat, ſanis hepate, ventriculo, inteſtinis aliisq; viſceribus integris & bene conſtitutis *Obſ. Med. Chirurg. cap. 52.* & hoc confirmat *N. Tulpius obſ. Medic. lib. 4. cap. 44.* ſecus namq; ſi ſe res habeat, ſectionem certus ægri ſequitur interitus. Ad qvæ omnia prudenter licet attendamus fieri tamen

men poteſt ut decipiamur, nec humor intra cavitatem abdominis contineatur, qvale qvid vidit *Volkerus Coiter. obſ. anat. chirurg. miſcell.* peritonæo, omento, inteſtinis, hepate, liene & reliqvis viſceribus omnibus magnis & multis hydatidibus obſesſis. Similis exempli meminit *Schenckius libr. 3. ex obſervationibus* J. Eicholtzii. *L. River. obſerv. cent. 4. obſ. 48. Nic. Tulp. lib. 2. obſ. 34.* Sed talia ſunt hæc requiſita, ut hæc ſectio nunquam in uſum revocari posſe videatur. In initio enim tumoris ad extremum hoc remedium nec æger nec chirurgus accedere volunt, cum extremis ſaltem morbis extrema talia remedia adhibeantur; Viſceribus vero jam corruptis, illam adminiſtrare velle temerarium foret. Niſi enim viſcera interna ſana & illæſa fuerint, parum aut nihil ut plurimum inciſionem hanc ægrotis profuisſe, uſus atq; experientia edocuit. Teſtantur id qvoq; viri docti. Evacuatur enim tantummodo aqva, qvæ in vacuo ventre retinetur, radix vero & origo mali in viſceribus remanent *G. Fabric. Hildan. obſ. Chirurg. Cent. 1. obſ. 47. N. Tulp. lib. 2. obſ. 38.* Quotiescunque igitur ſpes eſt internis medicamentis viſcerum tonum reſtitutum iri, ut tempus lucremur, adminiſtrari poterit; ita enim fiet, ut ab ea viſcera ulterius non corrumpantur, difficilis reſpiratio, aliave non debilitent ægrum; & futuræ ſanitatis affulgeat ſpes. Optime enim ſcribit *G. Fabric. Hildan.* paracenteſin non eſſe veram curationem, ſed tantum tolli cauſam conjunctam, nempe aqvam, qvæ & facillime regeneretur, niſi prius ablata fuerit cauſa antecedens ſeu efficiens *Epiſt. Cent. epiſt. 8.* Neqve enim ſanat emisſus humor, ſed medicinæ locum facit, qvam intus concluſus impedit. *C. Celſus lib. 3. cap. 21.*

TH. XIV.

Modum punctionis *Celſus lib. 7. cap. 15.* his verbis deſcri-

„ſcribit: Qvidam ſub umbilico fere qvatuor interpoſitis di-
„gitis à ſiniſtra parte. Quidam ipſo umbilico perforato,face-
„re conſveverunt. Quidam cute primum aduſta, deinde in-
„teriore abdomine inciſo; quia quod per ignem diviſum eſt,
„minus celeriter coit. Ferramentum autem dimittitur, ma-
„gna cura habita, ne qva vena incidatur. Id tale eſſe debet, ut
„ferè tertiam digiti partē latitudo mucronis impleat. Demit-
„tendumq; ita eſt, ut membranam qvoqve tranſeat, qua ca-
„ro ab interiore parte finitur, ea tum plumbea aut ænea fi-
„ſtula injicienda eſt, vel recurvatis in exteriorem partem la-
„bris, vel in media circum ſurgente, qvodam nodo, ne tota
„intus delabi poſſit, hujus ea pars, quæ intra, paulò longior
„eſſe debet, quam quæ extrà, ut ultra ulteriorem membra-
„nam procedat. Avicenna ad peritonæum usque abdomen incidit, id tamen non lædit. Fabricius ab Aquapendente cultrum in cavitatem abdominis & ſi ſub umbilico id fiat recta, ſi à latere illius oblique verſus eum adigit. Aſclepiades ſcarificat, Arculanus multas in aciem diſpoſitas & colligatas aciculas ventri altius infixit. Sectione ut ritè defungamur is locus eligendus eſt, ubi minimum læſionis eſt periculum: niſi umbilicus turgidus & protuberans fluctuante humore plenus ſectionis locum nobis oſtendat, aliàs providè vitetur. Communiter tribus transverſis digitis oblique deorſum ab umbilico præter propter ad latus muſculi recti in muſculo oblique deſcendente locus deſignatur, hoc obſervato diſcrimine, ut vel fiat in dextro vel ſiniſtro latere, prout æger aſſuetus eſt, vel ſuper dextrum vel ſiniſtrum dormire latus, id ſemper eligendo ſuper quo cubare nequit. Loco atramento deſignato in ſella collocetur æger, aut ſi debilior ſit ſupinus in lecto jaceat in cubiculo calido & luminoſo, cutis abdominis à miniſtro ſurſum trahatur quan-

tum poſſibile,Ita enim aqua deorſum deprimitur & ibi abdomen magis elevabitur cum minori ſubjectorum viſcerum læſionis periculo. Culter anceps mucronis rotundi(Aquapendenti placet altera parte obtuſus & incurvatus)adigatur usq; in cavum abdominis per ipſum peritonæum,donec aqua effluat,nullo metu inteſtina læſum iri,cum abdomen aqua valde ſit diſtentum & multum ſpatii peritonæum & inteſtina interjaceat,foramine facto cannula immittitur,cujus craſſities foraminis amplitudini reſpondeat. Cannulæ hujus ſeptem Aquapendens conditiones requirit (1) ſit valde polita,ne aſperitate partes quas attingit,lædat(2)in ſuperiori parte alata ſit,ne in abdomen decidat (3) juxta longitudinem aliquot foraminibꝰ pertuſa ſit. (4) Longior non ſit, quam ut hiet in cavum ventris,ne ſuo contactu viſcera lædat (5) craſſa nimis non ſit, ne aer confeſtim irruere poſſit (6) incurvata ſit, (7) foramini accuratè reſpondeat. *Chirurg. P.2. cap. 56.* Hiſce cannulis aliud ſuperaddidit artificium *Dn. Thouvenot* clave, cochlidio & organo elaſtico imperceptibili ſuperius orificium occludit,ita aptatis, ut ne minimum quidem aeris per cannulam ingredi aut egredi, & ita aperiri,ut aqua ad unius vel duorum,vel trium capillorum craſſitiem egredi poſſit. Non minus commodam excogitavit *C. Solingen* ſesquipollicem præter propter latam,ejus craſſitiei,ut calamus anſerinus intrudi poſſit, in capite alatam cum matrice. Alæ cannulæ ab ea quâ abdomen tangere debent parte corio munitæ ſunt,ut eo accuratius foramen occludat & aquæ effluxum impediat. Octoedram cochleam recipit matrix, intermedio firmioris occluſionis ergo corio tecta,cannula anſam habet,ut elevari poſſit. Penicillum ligneum foris convexum atq; obtuſum,ſed intus excavatum & operculo tectum,protuberans inſtar pinnæ,in medio tor-

natilis alicujus circuli, qui depresſis faſciis linteis tam arctè occludebat disſitas vulneris oras ut adimeret omnem profluvii metum, æri inciſum, quod in paracenteſi coercendis hydropicorum aquas nihil illo accommodatius judicaverit, deſcripſit *Nic. Tulp. obſ. med. lib. 4. cap. 43.* Omnia eo collimant, ut nobis nolentibus nil effluat humidi. Foramini facto cannula rotando intrudatur, remota cochlea calamum recipiat matrix per quem liquor effluat. Sine cannula alios aquam educere, qui facta inciſione per prehenſa vulneris labia infigunt acum ſat profundè ne lacerentur, quemadmodum in labiis leporinis fieri ſolet, quo facto circa utramq; acus extremitatem filum aliquoties ducunt, cujus beneficio pro lubitu vulnus claudunt, ſcribit *A. Paræus Chirurg. lib. 8. cap. 12.* Sed quàm incommodum & dolorificum ſit hoc remedii genus intuentibus patet. Magis mihi placent acus cavæ, quæ ſine dolore in quasvis adiguntur cavitates, atq; educta ſufficienti aquæ quantitate, iterum extrahuntur, ac ſuperimpoſito diapalmæ emplaſtro humoris ulterior ſiſtitur effluxus; donec alio tempore ad aliam denuò educendam, vel in idem foramen intrudantur, vel novum alibi paretur & ſic per vices aqua educatur. *F. de le Boe Sylvius Prax. med. append. tract. 6. §. 132.* Liquoris educendi quantitatem aliqui unciis nonnullis, alii libris circumſcribunt. Celſus prima vice majorem humoris evacuat partem, deinde per inſequentes dies circa ſingulas heminas emittit; donec nullum aquæ veſtigium appareat. *lib. 7. cap. 15.* Sed hoc ita generaliter determinari non poſſe credo; cum aquæ contentæ quantitas variet. *A. Nuck apud C. Stalpart van der Wiel in ſyn eerſte deel van het tweede hondert getal zeldzamer aanmerckingen Obſ. 28.* Nonaginta quinq; libras aquæ ex abdomine hydropicæ exhauſit, qualibus in caſibus aliquot libras

ſub

ſub initium educere poſſumus, ægro, ſi inde debilitetur, vinum generoſum propinando; idem vero hic quod in empyemate obſervandum, ne nimium educatur, non enim ſolum diſſipantur ſpiritus, ſed tubuli collabuntur & pertinaciores gignunt obſtructiones. Hydropicum deſtinato conſilio vulnerato abdomine aquæ effluxum non ſine oblectatione ſpectantem, qui intra paucas horas obierit, ſe vidiſſe ait *Ambroſ. Paræus Chirurg. lib.8. cap 12.* vide & *Tulp. obſerv. l.2. obſ. 28. Hildanum C.1. obſ. 47. C.2. obſ. 58.* proſtant quidem exempla in contrarium, ſed cum temeritas in ſalutē ceſſit imitari non poteſt. Educta aquæ quantitate ſufficiente occludatur denuò cannula firmiter, cavendo ne ex vulnere excidat, vix enim ac ne vix quidem id iterum reperies, quia evacuato humore tegumenta abdominis conciderunt. Glutinanti emplaſtro abdomine deterſo lintea duplicata faſcia munienda ſuperimponantur. Ubiq; & ſemper ſolicitè cavendo, ne cannula excidat. Vulnus ex artis præſcripto tractetur.

Hæc fuere B.L. quæ pro inſigni hoc themate illuſtrando ex tenui ingenii mei penu depromere potui; & ne ulterius patientia tua abutar, meritò hic filum abrumpo, voti mei ſummam me tenere perſuaſus, ſi quæ in medium protuli delicato tuo ingenio arrideant; ſin minus eâ quâ par eſt humanitate ac precibus à Te peto, velis omnia æqui bóniq; conſulere: certus me meliorem viam electurum, ubi meliori duce me non videbo deſtitutum. Quod ſupereſt, Deo Ter Optimo Maximo humillimas ago referoq; gratias, quod non tantum vires hucusq; incolumes præſtiterit atque integras, ſed & præprimis in hoc ſtudiorum meorum labore cum Spiritu ſuo mihi deeſſe noluerit. Quod ſicut devotâ mente agnoſco, ita & porro ad aram miſericordiæ ſuæ ſupplicem me conjicio, velit & impoſterum, ſtudiis

ſtudiis laboribusque meis ita benedicere, ut cedant in ipſius Nominis gloriam, Patriæ ſalutem, Ductorum meorum honorem, Ægrotantium ſolatium propriumque emolumentum & omnia tandem optatum nanciſcantur

FINEM.